

serit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Florentiae VII. Kal. Augusti pontificatus nostri anno secundo.

R^{ta} gratis.

A. Fidelis.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit dem Bleisiegel an Fäden von rother und gelber Seide.

No. 134. 1422. 31. Juli.

P. Martin V. erweitert das der Stadt hinsichtlich der mit dem Kirchenbann Belegten ertheilte Privilegium (No. 133) und befiehlt den Aebten zu Pegau und auf dem Lauterberge, sowie dem Probste zu St. Afra in Meissen für Aufrechthaltung desselben zu sorgen.

Martinus episcopus servus servorum dei dilectis filiis .. abbati Pigauiensis et .. Montis sereni Merseburgensis et Magdeburgensis dioc. ac .. sanctae Afrae Misnensis per praepositos gubernari solitorum praepositis monasteriorum salutem et apostolicam benedictionem. Hodie dilectis filiis nobili viro Friderico lantgravio Thuringiae et marchioni Misnensi nec non .. magistro civium, consulibus universitati et parrochianis parrochialis ecclesiae opidi in Lipczk Merseburgensis diocesis litteras nostras concessimus in haec verba: Martinus episcopus servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam. Honestis et humilibus supplicum votis illis praesertim, quae divini cultus augmentum et animarum salutem concernunt, libenter annuimus illaque favoribus prosequimur oportunis. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Friderici lantgravii Thuringiae et marchionis Misnensis necnon .. magistri civium consulum universitatis et parrochianorum parrochialis ecclesiae opidi in Lipczk Merseburgensis diocesis nobis nuper exhibita continebat, quod plerumque nonnulli tam ex personis extraneis ad dictum opidum causa inibi comedendi vel bibendi seu etiam pernoctandi aut alias quaevis sua vel aliorum negotia tractandi seu prosequendi pro tempore declinantibus et nonnunquam inibi aliquandiu moram facientibus, quam etiam ex habitatoribus et incolis opidi et quarundam villarum extra muros opidi et infra parrochiam ecclesiae praedictorum consistentium ac aliis in illis lares foventibus vel aliqua bona immobilia habentibus excommunicationis et interdicti sententiis sunt innodati seu ipsis alias est ingressus ecclesiae interdictus, propter quorum ad dictum opidum accessum vel moram huiusmodi seu quia incolae et habitatores praedicti lares fovent aut bona huiusmodi inibi tenent ut praefertur saepe contingit, opidum, in quo studium litterarum viget generale et quod temporali dominio eiusdem lantgravii subiectum esse dinoscitur, ac villas praedicta plerumque etiam post excommunicatorum et interdictorum huiusmodi ab opido et villis eisdem recessum seu realem expulsionem, quandoque per dies, interdum vero per menses aliquot, nonnunquam processuum sive mandatorum diversorum iudicum a sede apostolica vel eius legatis deputatorum vel eorum subdelegatorum, seu conservatorum aut episcoporum Merseburgensium pro tempore existentium seu aliorum locorum ordinariorum eorum vicariorum vel officialium aut aliorum commissariorum apostolica vel ordinaria auctoritate deputatorum, interdum